



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Codex traditionvm Corbeiensivm**

**Falcke, Johann Friedrich**

**Lipsiae ; Gvelpherbyti, 1752**

§. 283. De traditis familiis in villa Bobehem, et in villa Haddeshus in pago Guddingo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36114**

## §. 283.

Tradidit asdeht pro coniuge sua hathuburch unam familiam in *bobebem* (b)

gubernante  
Corbeiam  
Bouone.

tradidit ailhard pro se unam familiam in *haddebfuf* (c)

## §. 284.

*osdach comes* tradidit ad monasterium quod corbeia dicitur quatuor mancipia et omne praedium quod ipse et coniux eius *haddeburg* in uilla quae *nainun* (d) dicitur possiderunt his uerbis ut post amborum obitum eadem mancipia et idem praedium cum siluis pratibus aquarum exitibus et cum omnibus appendicibus utilitatibus pro commemoratione sua ad seruitium monachorum pertarent.

## §. 285.

*dur* noster non appelletur filius Bernhardi I, verisimillimum tamen erit, eundem fuisse fratrem *Wegani* ac *Thiatmari* I.

(b) Villa *Bobebem* in nostro Registro non reperitur. Dolemus illud, quia villa *Bobebem* probabiliter a quodam Bobone seu *Bouone* nomen accepit, ad cuius familiam forte *Asdeht* cum coniuge sua *Hathuburch* pertinuit, quorum consanguineus fortassis fuit *Bouo* abbas Corbeiensis, sub cuius regimine familia in *Bobebem* tradita videretur Corbeia.

De villa  
Bobebem.

(c) *Hadderbus* villa in nostro Registro in pago *Guddinge* posita inuenitur. Eadem ergo villa designatur, quae supra §. 191. reperitur. *Ailhard* itaque seu *Adelhardus* filius erit Adelhardi, quem supra §. 104. not. (n) inter progenitores comitum de Hoinboiken retulimus.

De villa  
Hadderbus in  
pago  
Guddinge.

(d) Villa *Nainun* fuit, nostro Registro testante, in pago *Salgo*. Hunc pagum in episcopatu Hildesensi in praefecturis Liebenburg et Sladem deprehendi, iam supra §. 201. not. (g) didicimus. Villa autem *Nainun* docet, pagum eundem se usque in praefecturam Lutter ad Bauenberge extendisse: intelligimus enim per villam *Nainun* designari vicum *Nauen* in Lutter praefectura Principatus Wolfenbuteleensis. Hisce praemissis, quaeritur id merito, quis fuerit comes *Osdach*? et ad quam familiam is verisimiliter sit referendus? Cum enim ille fuerit comes in nostra Saxonia, operae pretium videtur, accurate in originem eiusdem *Osdachi* inquirere, inprimis cum coniux eius *Hadeburg* probabiliter existimanda sit gloriosissimi regis *Heinrici* vxor. Hanc thalami consortem *Heinrici* auecupis fuisse *Eourwini* filiam, iam supra §. 281 vidimus, ibi docentes, *Eourwinum* stemmatis fuisse Brunoniani. Viduam fuisse eandem, et quidem velatam, retulit *Ditmarus* T. I. S. R. B. Leib. p. 324. Quo ipso indubie indicauit, *Hadeburgam* mortuo viro suo, Deo se dicasse, et ritu solenni coniugio Christi sese addixisse. Permanere itaque illa in monasterio posthaec debuit, nec pro arbitrato ab inito scedere ac pacto iurato resilire. Capitularia enim regum Francorum Lib. V. cap. 113. sic praecipunt: *qualicumque modo si mulier, permittente canonice viro suo, aut eo defuncto, velum sanctum in caput acceperit, aut sponte aut invita, in eo permaneat omnino, nec dimittat.* Quodsi igitur *Hadeburg* vidua fuit, sequitur, illam antea traditam fuisse cuidam marito, cuius et nomen et genus et dignitas haecenus fuerunt incognita. Nomen eius et dignitas ex hoc nostro loco elucescunt. Genus autem eius cognoscere licet ex iis, quae de *Osdacis* in nostris traditionibus traduntur. *Osdachum* nostrum e nobilissima quadam familia Saxoniae fuisse ortum, dignitas eius, quae comitis erat, comprobatur. Quodsi itaque in mentem reuocamus dominos, qui in eadem regione, intra quam *Osdachus* noster bona quaedam hereditaria Corbeiensibus elargitus est, bona sua abbatiae nostrae donarunt; illos stirpis *Billinganæ* fuisse, suspicamur, immo iam supra §. 104. not. (w) docuimus. Quid ergo nos impedit, quo minus et *Osdachum* nostrum eidem stemmati adscribamus? *Osdacum* sane quendam inter coheredes ducis *Ost-*

De villa  
Nainun  
in pago  
Salgo.